



**Epistola theologorum Norimbergensium, ad doctorem
Rupertum a? Mosham, Decanum Patauiensem, & Regium
consiliarium : in qua uenenata eius conuicia, mendacia, &
noxia dogmata percelluntur, & magna ex parte, licet breuiter,
confutantur.**

<https://hdl.handle.net/1874/429768>

b

NOBILISSIMO EX
MAGISTRO ET INGENUO

EPISTOLA THEOLOGORVM NORIM- BERGENSIVM, AD DOCTOREM

Rupertum à Mosham, Decanum Patauiensem,
& Regium consiliarium, in qua uenenata eius
conuicia, mendacia, & noxia dogmata per-
celluntur, & magna ex parte, licet bre-
uiter, confutantur.



EPISTOLA
THEOLOGORVM NORVM

REVERENDISSIMO AD DOCTOREM
Rupertum de Mohren, Decanum Paderbornensem,
& Regium consiliarium, in qua venientia eius
concordia, mendacia, & noxia dogmata per
cellulum & magis ex parte, licet, etc.
hinc, copiamur.

NOBILI EXI-

MIO, ET INSIGNI VIRO,

D. RUPERTO A MOSHAM, DECA-

no Patauiensi, & regio Consiliario,

ad manus proprias.



ALVTEM. Literas & libellos dominationis
tuæ, diebus aliquot post discessum tuum elapsis,
iam quidem certe præter expectationem, non in-
uiti tamen, ab hospite tuo accepimus: eò q̄ iam
pridem optabamus, ut de nouis & noxijs erroribus
tuis, quos improbè & importunè in orbem spargere molis-
ris, certum aliquod & fide dignum testimonium extaret.
Neq; uero erat ulla causa, cur absenti responderemus, nisi tibi
homini uehementer iactabundo, ansam de silentio nostro glori-
andi præscindere, simulq; nos iustis de causis in posterum nihil
amplius tecum acturos esse, denunciare uoluissimus. Nam quod
tibi adhuc præsentis promissimus, si ea quæ nobiscum agere uel-
les, in literas retulisses, nos tibi scripto uicissim responsuros: nõ
eò ualere debuit, ut nos ad inutiles cum absente iam discepta-
tiones obligaret: præsertim cum ita essemus animati, ut ne cum
præsentis quidem diutius nobis contendendum esse iudicare-
mus. Quis enim libenter conflictaretur cum eo, qui propter sacra-
rum literarum imperitiam nihil sani docere, propter obstinatam ani-
mi pertinaciam nihil boni à nobis discere, & propter bonarum
artium ignorantiam, neq; de suis, neq; de aliorum argumenta-
tionibus recte iudicare, neq; omnino, uincat an uincatur intelli-
gere possit? Quare in præsentiarum quoq; breues erimus: ea
tantum contra te scripsisse contenti, quibus auditis atq; perez-
ptis, optimus quisq; cum de doctrina tua pronunciaré, tum eti-
am de animo tuo recte ac uere poterit existimare.

Sunt autem tria, quæ potissimum in te reprehendimus. Primum amara, uirulenta, & uenenata tua conuicia, quibus in mores Lutheranorum inueheris. Alterum, uanissima, impudentissima & manifestissima mendacia, quibus doctrinam eorum calumniaris & deformare niteris. Tertium, noua, impia, & perniciofa dogmata, quæ in ecclesia Christi spargere, ipsæ concordiam & tranquillitatem nostram perturbare moliris: de quibus cum pauca & necessaria tantum, ordine dixerimus: finem non solum scribendi, uerum etiam tecum contendendi faciemus: idque iuxta consilium diui Pauli, qui iubet ut hæreticum hominem post unam & alteram correptionem reijciamus, eò quòd subuersus sit, & peccet *ἀποκατακρίτος*. Principio, negare non potes, libros tuos, tot, tantis, tam amaris, uirulentis, & uenenatis in Lutherum & Lutheranos omnes, conuicijs, probris, criminatio- nibus & maledictis scatere ac redundare: ut ante te nemo, neque Lutherum, neque quenquam omnino mortalium, pari conuiciandi & maledicendi petulantia sit profecutus. Nam & Lutheranis omnia genera uitiorum, corruptelas morum, euersiones legum, & quicquid huiusmodi excogitare potuisti, generatim & agminatim ita affinxisti, ut totam eam *πανολοβείαν* illorum doctrinæ adscriberes. Et Lutherum tantæ maliciæ insimulasti, ut de eo pronunciare non dubitaueris, eum desyderio pereundi perendicque omnia, scientem ac prudentem, ad euertendam religionem prorupisse. Quin etiam alicubi peiorem quam Core, Dathan, & Abiram, atque adeo ipsi propemodum Sathanæ parem affirmasti. Atque utinam nobis fidem non fefellisses, sed libros tuos, ut promittebas, diligentius inspiciendos permisisses, enumeraremus profecto portenta illa conuiciorum tuorum, omnium non solum expectationem, uerum etiam fidem superantium. Quæ quanquam ad nos quoque magna ex parte pertinere arbitremur, eò quòd tu pios & bonos omnes, qui quidem erroribus & opinionibus hominum reiectis, sese totos authoritati sacrarum literarum dederunt, sine ullo discrimine, per contumeliam, Lutheranos appelles, non tamen admodum commouemur. Non enim dubitamus, quin nostri homines, qui hoc genus doctrinæ ex animo

mo complexi sunt ac retinent, si cum alijs huius seculi quibus-
uis comparentur, humanitate, integritate, fide ac pietate lon-
ge superiores reperiantur. Et Lutherus hisce tuis criminationi-
bus adeo non est obnoxius, ut ne inimicis quidem eius fidem te
facturum esse credamus. Quod quidem non alio, quam te ipso
teste, qui acerrimus eius es accusator, verissimum esse confirma-
bimus. Enimvero an non meministi: quod coram septem dele-
gatis scriptorum tuorum auscultatoribus, tua sponte etiam cum
iuramento confirmasti, credere te, atq; adeo scire, q; ueritatem
hactenus laudabili zelo, & sincero animo quaeserit, & si quid er-
ratum ab eo sit, sola ignorantia, non uero ulla malitia, peccauit.
Cumq; quidam ex auscultatoribus, superiores tibi crimina-
tiones obiecissent, repente confusus erubuisti atq; obmutuisti.
Quare eiusmodi criminationes tuæ inauditæ, non quales nos
haberi debeamus, arguunt, sed qualis tu ipse sis, aperte produunt
atq; conuincunt. Illud autem nihilominus ferendum non est,
q; easdem criminationes tuas iniustas minimeq; ueras, ad dam-
nandam & euertendam sanam doctrinam nostram ualere uo-
luisti, quasi quorum uita reprehensibilis esset, inter eos uera &
sincera doctrina uersari nō posset. Nam etiamsi ea quæ tu nos-
tris hominibus falso obijcis, uera essent omnia, nihil tamen eorum
ad redarguendam doctrinam nostram pertineret. Solet enim
Deus remedium uerbi sui tum adhibere maxime, cū mores ho-
minum sunt corruptissimi. Reuolue sacras literas, inuenies No-
am iusticiæ præconem, cum mundus esset flagitiosissimus:
Mosen legislatorem, cum populus esset contumacissimus: reli-
quos Prophetas magna ex parte concionantes, cum regnum
Israeliticum idololatria, & alijs sceleribus esset inquinatissi-
mum. Quod si temporibus illis aliquis tui similis extitisset, qui
sanctissimorum illorum Prophetarum doctrinam, propter po-
puli scelera damnasset, an non summa se impietate & blasphem-
ia obstrinxisset? Quamq; cum ad te respicimus, incogitantia
tuam satis non possumus admirari, quod nouæ & antea in-
auditæ doctrinæ autor & assertor cum sis, tamen contendas,
quorum uita possit iuste culpari, eorum doctrinam oportere ut
A 3 impiam

impiam & perniciosam damnari? Quid enim? Nihil ne in uita
& moribus tuis reprehendi potest? an oblitos nos esse arbitra-
ris eorum, quæ ex libris tuis à te coacti, de te ipso didicimus?
Quis superstitiosis sortibus Deum contra manifestum uerbum
ipsius tentauit? Quis easdem sortes, non sine idololatriæ crimi-
ne, tanquæ certum Dei oraculum iactauit? Quis sacræ Regiæ
maiestati sponte exquisitissimum de taciturnitate in contione
Regia iuramentum præstitit? & tamen eandem in literas rela-
tam, multorum auribus, quibus id gratum non fuit, contra ius-
iurandū inculcauit? Quis aduersarios suos à suis ipsorum sub-
ditis extirpandos, certo se uaticinari gloriatus est? Quis eos-
dem subditos, iuramento magistratui præstito non obligari as-
seruit? An cum uita sceleribus inquinata, doctrinæ authorita-
tem derogare debet, ut tu quidem contendis, nos homini super-
sticioso, idololatræ, perfuro, pseudopropheta, seditioso, noua do-
gmata sacræ scripturæ non consentanea afferenti, credituros fo-
re sperasti? Sed de his iam satis. Ad secundum caput huius dis-
putationis ueniamus, in quo neque nos ualde laborabimus:
quia uanissima, impudentissima, & manifestissima tua contra
doctrinam nostram mendacia tantum recensebimus, & tu ma-
gna, nisi fallimur, uoluptate afficere, dum unâ nobiscum reco-
gnosces, quàm incredibili impudentia & audacia, ueluti Philis-
tæus ille, agminibus Dei uiuentis, exprobraueris: Quanquæ hic
superiorem querelam nostram repetere non sine dolore cogi-
mur, quòd libros tuos, ut promittebas non exhibueris. Etenim
si id fecisses, tantam profecto impudentissimorum mendaciorū
tuorum uim & copiam ex eis produxissimus, ut omnem existi-
mationem tuam sub eorum pondere fatigatam & oppressam,
apud optimum quenquæ funditus corruere necesse esset. Nunc
uero pauca tantum, quæ ad manum sunt, uel nostra memoria
retenta, uel notulis excepta, uel tuis ipsius libellis expressa, enu-
merabimus. Quorum hoc merito principem locum obtinet,
cuius nomine, mendaciæ in faciem redargutus, crimen eluere nō
poteras, nempe quia scripseras, te satis mirari nō posse, de te-
meraria, pudenda, & impia doctrina Lutheranorum, qui dice-
rent.

rent, reliquias peccati non debere expurgari, aut nos ab illis emundari. Eiusdem etiam notæ est, quod sapius inculcasti, nos docere fidem sine uerbo Dei. Hoc uero quantum habet effrontis audaciæ, & uenenatæ uirulentia? quod asseris nos nullam differentiam facere, inter opera Dei & opera diaboli, inter opera fidei & incredulitatis; inter opera carnis & opera spiritus, inter legem spiritus uitæ, & legem peccati atq; mortis? Quoties autem inculcasti nos abstulisse uerbum à fide, poenitentiam à remissione, crucem ab euangelio? mirum profecto q; non addideris, Solem è mundo, & Deum è coelo, cum id eadem uerecundia potueris. Huius porrò generis hæc quoq; sunt, quæ sine sine deblacterasti, nos fidem à dextris uerbo Dei, à sinistris caritate priuasse, nos caritatem à fide separare, nos fidem mortuam prædicare, & quod penè obliti eramus, Confessionem nostram, ac totam apologiam illius, comminationum Dei, nè uno quidem uerbo meminisse, & alia huius generis penè infinita, tantæ ac tam manifestæ uanitatis, impudentiæ, & uirulentia, ut neq; confutatione nostra egeant, neq; cuiq; à te persuaderi queant. Imò nihil dubitamus, quin eorum prædicatione & asseueratione, te bonis & pijs omnibus inuisum & execrabilem sis rediturus. Quare hoc unum te hoc loco admonere uolumus, ut etiam atq; etiam cogites, Satanam patrem mendacij etiam homicidam esse, idq; nos minime ignorare aut obliuisci posse, ita enim facillime intelliges, consilia tua nos latere, ac fallere non posse. Restat iam ut de nouis, erroneis, & perniciosis tuis dogmatibus etiã pauca dicamus, si prius nostram de iustificatione sententiam, quam tu potissimū impugnare, deprauare, & euertere niteris, breuiter recensuerimus. Quæ ut recte intelligatur, sciendum est, uerbum Iustificandi in sacris scripturis dupliciter usurpari. Primo enim significat peccatorem uel impium, qui hactenus iniustus fuit, iustum efficere, ut ad Rhom. 4. Credi in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiã. Secundo significat eum qui antea iustus est, cuius tamen iusticia obscura uel controuersa est, iustum probare, laudare, declarare uel pronunciare: ut Lucæ. 7, Publicani iustificauerunt Deum, baptizati

baptizati baptifmate Iohannis: quo loco, fi quis iustificare, pro
iultū efficere interpretaretur, intolerabilem prorfus & manife-
fte blafphemā ſententiā redderet. Quapropter hoc difcrimen
cōferuare maxime neceffariū eſt. Quod ut fiat, priorē iuftifica-
tionem uocabimus Effectiuam, posteriorē Declaratiuam. Dici-
mus itaq; & cōſtanter aſſerimus, hominē effectiue iuſtificari ſi
de in Chriſtum, non operibus, fidem autem intelligimus & deſi-
nimus, non carnalem opinione uel aſſenſum humani cordis, ſed
uiuam illā uerbi Dei & ſpiritus ſancti *ἐνέργειαν*, quā Deus opera-
tur in cordibus noſtris, ſubſtantiā reſe ſperandæ, argumentum
nō apparentiū, quæq; per diſectionē operatur, id quod totus or-
bis Chriſtianus planiſſime nouit, & aduerſarij noſtri uel inuiti
coguntur conſiteri. Nam frigidū illud carnis figmentū, quod Ia-
cobus fidem mortuā appellat, ne fidē quidem eſſe concedimus,
tantū abeſt, ut ei iuſtificandi uim attribui patiamur. Sicut enim
mortuus homo, non eſt homo ſed cadauer, ita mortua fides iam
nō eſt fides, ſed figmentū carnis. Atq; hic cōcidit & euaneſcit im-
pudēs illa & peruicaciſſima calumniā eorū, qui garrunt nos fidē
ſine uerbo & ſine caritate docere. Nam fidē ueram ſine caritate
eſſe poſſe cōſtanter negamus, & ſine uerbo nō fidem, ſed manife-
ſtam idololatriā eſſe cōtendimus. Cum autē opera iuſtificare ne-
gamus, non tantū de operibus carnalibus ante fidē abſq; ſpiritu
ſancto factis loquimur, uerū etiam de uere bonis illis operibus,
quæ à iuſtificatis ex fide, operāte in eis ſpiritu ſancto ſiūt. Ideoq;
interdū Pauli genuinā ſententiā, et Ambroſij autoritatē ſequuti,
dicimus: Sola fides iuſtificat. Quorū uerborū (ſi linguæ proprie-
tatē, & uſum ſacræ literæ ſpectes) nullo modo ea ſententiā eſ-
ſe poteſt, quā aduerſarioꝝ noſtroꝝ impudens & excæcata mali-
tia per calumniā nobis obtrudere & aſſingere molitur, ſcilicet,
q; ſolitaria fides, quæ ſit ſine uerbo, ſine caritate, & ſine bonis o-
peribus, iuſtificet. Sed hæc potius eſt ſententiā: Fides quæ non
eſt ſolitaria, ſed habet ſecū uerbū Dei, cui innititur, & caritatem
in quā redundat, Sola tamen iuſtificat. Hæc inq; uerborū no-
ſtroꝝ propria, conſtās, & genuina eſt ſententiā, nullaq; alia eſ-
ſe ullo modo poteſt. Sicut in ſimili genere locutionis, cum Da-
niel

niel ca. 10. dicit. Vidi autē ego Daniel solus uisionē, nō est, nec
 esse potest ea sententia, q̄ Daniel fuerit solitarius, dum uideret
 uisionem, sed ea potius est propria, genuina & manifestissima
 sentētia, q̄ Daniel qui nō erat solus aut solitarius, sed habebat se
 cum suos domesticos & familiares, id quod textus clare dicit, so
 lus tamē uisionem uiderit. Quod si quis Danielis uerba in hoc
 sensu recte, proprie, minimeq; ambigue dicta esse concedit, cogi
 tur & nostra, in tali sensu, recte, proprie, minimeq; ambigue di
 cta esse concedere. Sin autē nostra calumniari, deprauare, & in
 aliū sensum torquere nititur, iam profecto sese ne sacris quidē li
 teris parcere declarat. Cū enim diuersissimā & dissimillimā in
 ter se sint hæ duæ sentētiæ: Fides est sola, & fides iustificat sola,
 sicut & illæ; Daniel est solus, & Daniel uidet uisionem solus, qui
 nobis priorē, quam nunq; docuimus aut cōcelsimus, affingit, et
 posteriorē quam solā profitemur ac defendimus, dissimulat atq;
 supprimit, nosq; hac calumnia suspectos reddere laborat, is eā
 dē opera & calumnia Danielē impetit, eiusq; uerba peruertit: et
 ita nō nobis, sed sibipsi fidē derogat. Hutus autē nostræ sanæ et
 Apostolicæ doctrinæ clara, certa, & cōtra portas inferorū inui
 cta testimonia in sacris literis habemus. Id quod paulo post, dū
 tua cōfutabimus audies. Nunc quid tu noui afferas uideamus.
 lactas te aliter esse Helciam sacerdotē q̄ libros legis repereris,
 & speras tuis temporibus spirituales Hierosolymam, ut est in
 Apo. 21. reedificatum iri, ac præ magnitudine lucis quā tua do
 ctrina sit allatura, illud Esaia implendū esse: Et erit lux Lunæ
 sicut lux Solis, & lux Solis septemplexiter &c. Ac duodecim no
 uæ illius ciuitatis portas, è tuo capite, sine ulla scripturæ autori
 tate, stultissime ac uanisime cōfictas, cœlitus tibi donatas esse
 crepas, easq; quatuor trinitates appellas, quarū prima sit, Pater
 Filius & Spiritus sanctus. Secūda, uerbū, fides, & opera. Tertia,
 intellectus, ratio, uolūtas. Quarta, cor, os, & opus. Audesq; blas
 phemare & docere: Quod sicut pater, Filius, & Spiritus sanctus
 sint una inseparabilis diuina essentia, ita uerbū, fides & caritas,
 sint una deifica quædā & inseparabilis res, quam subinde fidē tri
 nam, solā, & unam, itē unītrinā, & barbare *τετραοὐαμισiv* uocas.
 Præterea infers, sicut recte dicatur Fides iustificat, ita etiā recte

dicij, caritas iustificat, & opera iustificat. Paulū negantē, q̄ ope-
ra iustificent, tantū de operibus legis interpretaris, eaq̄ definitis
quæ uiribus humanis ante fidē sine Spiritu sancto flant. Deniq̄
hanc tuā unitrinā fidem, (quā tu solus doces) uocas fidem Mo-
narcham, id est, Imperatoriam, utinam nō sit Monasteriensis,
nostrā autē Monachā, id est, solitariā, quia uirulenter & sine fine
deblacteras, eam esse uerbo & charitate spoliatā. Et quis acer-
bissime insecteris, quod nos dicimus: Sola fides iustificat, tamē
inanissime gloriaris, te unū uidisse clarū in Euangelio textū, cu-
ius autoritate recte dicatur: Sola fides iustificat, nempe illud
Marci 5. & Luc. 8. Tantum crede, & salua erit filia tua. Hæc tua
figmēta, uel portenta uerius (Nam reliqua indigna iudicamus
quæ hic cōmemorentur) quid ueri quidue falsi habeāt, age dili-
genter nobiscū recognosce. Nemo te uehemētius cōtendit, in sa-
cris literis nihil addendū, detrahendū, mutandū, aut innouandū
esse. Nemoq̄ cupidius damnat eos, qui nouis utantur dicēdi fi-
guris ac dogmatibus, quā tu: Et recte sanē cōtendis ac dam-
nas. Sed interim tamen fingis, excogitas, & innouas 12. portas,
quatuor trinitates, unitrinā fidem, fidē Monacham, fidē Monar-
chā, fidem faciendā non credendam, uerbū generās uerbum, tri-
plex uerbū, Megacosmī Megafynodū, Microcosmī Mycrosy-
nodū, Nouæ Hierosolymæ Megapolim & Micrapolim, tria al-
taria, tria sacrificia, caritatē iustificantē, & opera iustificantia,
reliquaq̄ huius generis æque prodigiōsa & fanatica: quorū ma-
xima pars cōtra, omnia uero præter sacræ literæ & ueteris ec-
clesiæ autoritatē finguntur ac nouantur à te. Iustissime ergo ex
ore tuo, ut Christus ait, condemnaberis. Et habes id quod diuus
Paulus hæretici pertinacis & subuersi propriū esse affirmat, nē-
pe quod es *αὐτοκατακριτος*, hoc est, tuo ipsius iudicio cōdemna-
tus. Præterea miramur tuā in fingendis 12. portis fatuitatem.
Cū enim ea sit portæ natura, ut qui per unā ingressus fuerit, nō
opus habeat ut per aliā ingrediatur, nisi prius aliqua itere exiue-
rit, necessario ex deliramento tuo sequetur, q̄ per solū opus, quæ
duodecima porta est, sine cōfessione oris, sineq̄ synceritate cor-
dis possimus in tuam nouā Hierosolymā peruenire, id quod ni-
hil aliud est, q̄ homines hypocriticis & simulatis operibus posse
saluari,

saluari, Imò sequetur etiã, ut qui per hanc portã fuerit ingressus; nihil opus habeat reliquis portis omnibus. hoc est, ingredi potu- it, atq; adeo iã ingressus est, sine patre, filio, & spiritu sancto, sine uerbo, fide, & caritate, sine intellectu, ratione, ac uoluntate. Ad hunc modũ curre per singulas portas ordine, & per quãcumq; il- larũ tyronem tuũ introduxeris, nega eũ reliquis undecim indi- gere, & reperiẽs duodecies undecim, hoc est centũ triginta duas negationes, tibi ipsi turpissime cõtradicentes, & nouũ tuum do- gma potentissime subuertẽtes. Quãto rectius sinxisses 12. por- tas esse 12. Apostolos: ut qui per unũ ex illis fidẽ edoctus, bap- tizatus, & in ecclesiã uel regnũ Dei, quasi per portã quandã, recep- 9 esset, nõ opus haberet ullo alio ex reliq; undecim Apostolis? Quid q; secũda porta, nẽpe filius Dei, & quarta, scilicet uerbum Dei, sunt unũ & idem? Aut ergo hæretice & cũ blasphemia, in- ter filium & uerbũ Dei distinguis, aut undecim tantũ portas ha- bes. Quid q; tota ciuitas cũ omnibus suis portis est sponsa agni? Agnus autẽ Christus est. An igitur Deus pater & spiritus san- ctus sunt sponsa Christi? Quis nõ excretur hanc tuã fingẽdi li- centiã & blasphemam audaciã? Nam hoc quoq; non solũ hære- ticũ, uerũ etiam blasphemũ est, q; asseris uerbum, fidẽ, et charita- tem esse unũ, quemadmodũ pater, filius, & spiritus sanctus unũ sunt. Fuit enim uerbũ Dei ab æterno, & manebit in æternum. Fides autẽ incepit in tẽpore, & rursus euacuabitur, teste Paulo, nõ possunt igitur esse unũ. Item uerbũ Dei Deus est, fides autẽ opus Dei, & sic creatura est. Quæ autẽ maior blasphemia cogi- tari potest, quã dicere Deũ cũ opere suo, seu creatura sua esse unum, sicut pater, filius, & spiritus sanctus unũ sunt? Item Pau- lus inquit: Fides, spes, caritas, tria hæc &c. Atqui si tria sunt, fi- des & caritas nõ sunt unum. Hæc & similia cũ præsens quoq; à nobis audires, & te uictũ ac confusum esse sentires, nõ tamẽ uer- tati cedebas. Sed dicere audebas, fidẽ etiam fuisse ab æterno. In- terrogatus, ubi nam? respondebas, in Deo. iterũ interrogatus, quid, cui crederet Deus? & an illa fides esset eiusdem generis cũ fide nostra iustificante? prorsus obmutescebas, nec quomodo te ex talibus blasphemijs extricare reperire poteras. Verũ etiam si cõdonaremus (quod absit tamẽ ut faciamus) uerbũ, fidem & ca-

ritatē esse unum, nondū tamē sequeretur, q̄ fides, caritas, & ope-
ra ideo simul & æque iustificarēt, sicut tu inferre conaris. Nam
pater, filius & sp̄ritus sanctus uere & superexcellēter sunt unū,
& tamē Deus pater generat Deū filium, filius nō generat Deū.
Ita etiā si fides & caritas uere essent unū, tamen fides adhuc pos-
set sola iustificare, sicut pater solus generat; & caritas nō iustifi-
care, sicut filius nō generat. Ad hęc quoq̄, cū præsentī tibi obji-
cerentur, nihilo melius respondisti quā ad superiora, sed uehe-
menter cōfusus, in hanc hæreticā & blasphemam sententiā erupi-
sti: Verbum etiā generat uerbū, imō triplex est uerbum. Interro-
ratus, ubi nam scriptura hoc doceret, respōdisti: In principio e-
rat uerbū, & uerbū erat apud Deū, & Deus erat uerbum, quo re-
spōso quid uoueris multū à nobis agitatū, dicere tamē clare nō
audebas. Similiter cum Osiander instaret, & ita argumētaretur:
Quamuis pater, filius & sp̄ritus sanctus sint unū, tamē solus fili-
us est incarnatus, nō pater nec sp̄ritus sanctus, ergo etiā si fides
& caritas essent unū, adhuc tamē sola fides iustificare posset, & ca-
ritas nō iustificare, nō ualet igitur cōsequentia tua & c. tu quidē
risu Sardonico excipiebas. Cumq̄ ille sapius interrogaret, an
Deus pater esset incarnatus, eadē ferē respondebas, quæ postea
in respōso tuo Theodidactico (quod tamē uerius est *θεοδιδάκτι-
κον*) & fanaticū) scripsisti. Sed nihil ad rē, urget enim uere te quæ-
stio Osiandri. Nam si respōderis Deū patrem esse incarnatū, hæ-
reticus es, si dixeris nō esse incarnatū, cōcidit falsa tua cōsequen-
tia funditus. Sed tēpus est ut ad totius negocij caput acceda-
mus, nempe q̄ opera nō iustificant. Hoc autē Paulus clare docet
ad Rho. 3. cū inquit: Arbitramur hominē iustificari per fidē, sine
opibus legis. Hic tu cōcedis hominē fide iustificari, & opa legis
non iustificare. Sed desinis opera legis, quæ fiant uiribus huma-
nis ante fidem sine sp̄ritu sancto. Deinde inferis, q̄ opera bona
quæ fiant à credentibus, operante in eis sp̄ritu sancto, iustificēt.
Sed nos neutrū tibi cōcedimus. Neq̄ enim opera legis recte de-
finis, neq̄ operibus uere bonis iustificationē Effectiuā recte tri-
buīs. Sunt em̄ opera legis, quæ à lege præcipiuntur, lex autē spi-
ritualis est, ergo præcipit opa spiritualia, quæ & si faciamus, nō
tamē per ea iustificamur, id qd̄ manifestū est in lapsu Galatæ.

Illi enim in Christum crederant, fide iustificati erant, spiritum sanctum
 acceperant, & uirtutes etiam atque miracula operabantur, teste Pau-
 lo. Quare opera eorum haud dubie non erant opera ex uiribus car-
 nis ante fidem sine spiritu sancto. Sed erant opera uere bona, in le-
 ge precepta, ex fide, operante in eis spiritu sancto facta, & tamen
 quia paulo post seducti a pseudoapostolis incipiebant eisdem suis
 operibus tribuere uim iustificandi Effectiuam, sicut tu quod facis.
 Paulus opera eorum uocat opera legis, quae iustificare non possunt,
 dicitque eos excidisse a fide, & euacuatos esse a Christo. Manife-
 stum est igitur te opera legis non recte definire. Veruntamen, etiam si
 recte definisses, non tamen sequeretur: opera legis non iustificat,
 ergo opera fidei & spiritus iustificat. Sicut nec hoc sequitur: Pla-
 to non disputat, ergo Socrates disputat. Paulus enim clarissime
 probat nulla omnino opera, quatumuis bona, iustificare. Negat
 enim Abrahamum iustificatum ex operibus Rom. 4. Atqui opera Abra-
 hami fuerunt opera praestantissima, quibus haud temere quisquam
 sua comparare, nedum praeferre audebit. Quod si optima Abra-
 hami opera non iustificat, nulla profecto bona opera iustificat. Por-
 ro ne quis de hac sententia Pauli dubitare possit, subdit: Ei autem qui
 opatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum,
 quibus uerbis clare significat, se de tam bonis et excellentibus operi-
 bus loqui, ut si Abrahamus illis faciens iustificatus fuisset, fru-
 ctus iustificatiōis eius, non ex gratia, sed ex debito illi contigisset,
 hoc autem nisi de uere et excellentibus bonis operibus intelligi non potest.
 Quis enim uel cogitare audeat, ei qui faciat opera ex uiribus carnis, si
 ne fide, sineque spiritu sancto, in specie bona, mercedem ex debito con-
 tere, ita ut gratia non egeat? Nulla igitur opera omnino neque ante ne-
 que post fidem iustificat, sed sola fides, ut diximus, praesertim cum Pau-
 lus clare dicat ad Rom. 3. nos iustificari gratis per gratiam Christi.
 Ex operibus autem iustificari, non est gratis, quia operanti merces impu-
 tatur secundum debitum. Eandem uim habet et illa quae Paulus ex Da-
 uide illic adducit: Beati quoque remissae sunt iniquitates &c. Remit-
 tere enim iniquitates, non pertinet ad opera nostra quatumuis bona, sed
 ad gratiam Dei per Christum. Idem luculentum testatur Esaias 53. cap. In
 scientia sua ingens, iustificabit ipse iustus seruus meus multos. Sci-
 entia autem seu cognitio Christi longe aliud est, quam opera nostra, quan-

iūuis bona et ex spū facta. Sed nihil clarius dici pote st, q̄ q̄ Pau-
lus dicit 1. Cor. 1. Christus fact⁹ est nobis sapiētia à Deo et iusti-
cia &c. Nā si Christ⁹ est iusticia nostra, & nos Christū nullo o-
pere, sed sola fide apprahēdimus, manifestū est, q̄ sola fide iusti-
ficamur, nō opibus. Manifestū etiā est, q̄ qui suis opibus cōtume-
uis bonis iusticiā tribuit, ille oṗa manū suarū adorat pro Chris-
tō filio Dei, quæ est summa et execrāda idololatria. His paucis
poteram⁹ esse cōtenti, ueṛ ut intelligāt oēs, te nō uulgarit̄ erra-
re, sed subuersum & tuo ipsiusmet iudicio condēnatū esse, ostēde-
m⁹ etiā ex tuis ipsius uerbis, q̄ nulla oṗa iustificāt. Concedis em̄
uerā in Christū fidē iustificare, hoc est causam efficientē iusticiæ
esse, Cōcedis itē iusticiā esse causam efficientē bonorū operū, neq̄
uero id solū cōcedis, ueṛ etiā asseris. Atqui ex his necessario se-
quit̄, oṗa bona effectiue iustificare non posse. Quicqd̄ em̄ effecti-
ue iustificat, iusticiæ causa efficiēs est, nulla aut̄ oṗa sunt causa
efficiēs iusticiæ, sed sunt effect⁹ tantū; ergo nulla oṗa iustificāt.
Quia impossibile est effectū esse uel fieri causam efficientē, suæ
causæ efficiētis, id quod præsens quoq̄ totidē uerbis audiuiſti,
neq̄ tamē confutare potuisti. Sed cū multa indocte & imperite
de 4. causarū generibus effunderes, tandē ueritate coactus dixi-
ſti, opera esse causam finalē. Atqui si causa finalis sunt, nō sunt
causa efficiēs; nō iustificāt igit̄. Hoc etiā uerba Christi clare do-
cent, cū dicit: Nō potest arbor mala fruct⁹ bonos facere. Nā q̄s-
q̄s p̄ oṗa iustificari uult, is adhuc iūst⁹ est, & arbor mala, nō po-
test ergo iuste oṗari, nec bonos fruct⁹ facere. Impossibile igitur
est, ut sua eū oṗa iustificēt. Sin aut̄ antea iustificat⁹ est per fidē,
ita ut possit iam bona opera facere, nihil opus est ut per bona il-
la opera iustificari fingatur, cum antea iustus sit. Quanc̄q̄ enim
recte dicitur, q̄ iustificatus est, iustificet̄ adhuc, nō tamē de operi-
bus intelligi debet, sed de fide tantum. Iusticia enim Dei reuela-
tur, non ex fide in opera, sed ex fide in fidem, ut inquit Paulus,
hoc est qui fide in Christum iustificatus bene operari cœpit, non
debet fiduciā iusticiæ à fide & gratia Christi translata, in
operibus suis collocare. Sed potius bona sua oṗa fidei iustifican-
ti accepta ferre, & ita omnem fiduciā ab operibus remotā ite-
rum in gratiam Christi per fidem reportare. Quod autem Iaco-
bus

bus ait Abrahamū ex operibus iustificatū esse, nullo modo de iustificatione effectiua, de qua hic agimus, intelligi potest, sed tantū de iustificatione declaratiua, de qua nulla unquē fuit controuersia. Manifestū est enim, Abrahamum offerendo filiū suum, non iustū effectum esse. Sed cū circiter uiginti octo annis antea, per solam fidem in promissionē Dei de Christo sibi factā, iustificatus fuisset, offerendo filium, insigne testimoniū iusticiæ suæ cōsequutus est. Imò totus ille Iacobi locus, tantū ad declarationem iusticiæ fidei pertinet. Introducit enim duos, quorū neuter quærit, quo modo effectiue iustificari debeat, sed uterq; sese sola fide iamolim iustificatum esse confidit atq; iactat. Quæruntautē & altercant, utrius iusticia fidei, recte ac certo declarata seu manifestata sit, & testimonium mereatur, cum alter fidem iactando, alter opera ostendendo, sese fide iustos esse, probare conati sunt. Iacobus autem tantū iudex uel arbiter eorū, negat fidem iustificantem recte probari iactatione tantū, quia multi fidem iactant, quam tamen nō habent. Sed eū qui confessioni fidei, bona opera cōiunxerit, recte iustificari, id est, iustum agnosci, & pronunciarī contendit. Nō qd opera illa iustū eū efficiant, cum priusq; bona opera faciat, iustum esse oporteat, sicut tu quoq; cōcessisti. Sed quod bona opera fidei testimoniū perhibeant, cuius intuitu uera & sincera esse pronuncietur. Hæc sententia nihil habet incōmodi, sed conuenit cū uniuersa scriptura, quare haud dubie genuina est. Sed de his iam satis. Superest ingens & propemodū infinitus aceruus errorū contradictionū, deprauationum scripturæ, falsarū argumentationū, & blasphemiarum tuarū, quæ omnia in præsentiarum omitemus, & ijs quibus cū uiuis, & apud quos ea effundere ac disseminare conaris, cōfutanda cōmittemus, præsertim cū eis pertinaciter inhæreas, nec ullā nobis emendationis tuæ spem reliquā feceris. Ac ne propositiones quidē tuas contra Lutherū in Antinomorū causa scriptas attingemus, cū neq; causam totā cognitā habeamus, neq; Lutherus nostra defensione egeat, & tu toties iactaris, te corā cū eo acturū, ut id sine summa turpitudine, et manifestissimæ uanitatis nota, negligere amplius iā nō possis. Reliquus est libellus cui titulū fecisti, Relatio &c. in quo nihil est quod magnopere ad rē pertineat, nisi quod in eo suspensiones quorundam

rundā confirmas, qui iā inde ab initio augurabātur, te subornatū,
 ut nouis dogmatibus, erroribus & disidijs concordiam nostrā
 turbares, & ita nos Papistæ furori magis obnoxios & oppor-
 tunos efficeres. Et certe omnia belle quadrant. Nam promittis
 te Septemuiris nostris secreto ostensurum, quomodo duo Anti-
 christi, quorū alterū Lutherū facts, alterū Papam, possint debel-
 lari & extirpari. Bella igit̃ & cædes cogitas. Minaris etiā alicu-
 bi, nos duplicis anathematis sententiā ferendos. Consiliorū er-
 go contra nos initorū conscius es, Papam crudelissimū tyrannū
 Antichristū appellasti, & infinitis alijs conuictijs proscidisti, ille
 tamen te amice uocat, tuq; sine publica pace ad eū profecturum
 te esse dicis. Colludis igitur, Principem autē electorem Saxonie
 clementissimū, & planè innocuū sine publica pace adire non
 uis, ut cunq; tibi eū necessārio adeundum esse prædicis, Male igit̃
 tur tibi conscius es. Sunt plures confecturæ, sed alijs, quo te di-
 ligentius obseruent, insumandæ ac detegendæ. Hactenus satis
 ostendimus, te quidem conuicta torē uirulentissimū, & calum-
 niatorem uanissimū, Doctrinā uero tuam erroneam, hæreticā,
 blasphemam, & Ecclesiæ Christi pernitiosam, Neq; consilia tua
 pacifica, sed insidiosa & seditiosa esse. Quare in nomine Christi
 plena fiducia, & bona conscientia, doctrinā tuam damnamus.
 Te ut obstinatum ac pertinacem uitandum iudicamus, & quod
 posthac nihil amplius priuati tecū negocij habere uelimus, cla-
 re denunciamus, Donec resipiscas. Vale. Data Nurembergæ
 21. die Nouembris, anno à natiuitate Domini 1539.

Vuenceslaus Lincus.

Andreas Osiander.

Vitus Theodorus.

Thomas Venatorius.